

Ant. v. Gröben. Ant. v.

N. 59. 1.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
P R O R E C T O R 30  
D. ERNESTVS CHRISTIANVS  
WESTPHAL

IVRIS PROFESSOR P. O. ET FAC. IVRID. ASSESSOR

CVM

DIRECTORE

ET

SENATV ACADEMICO

SACRA PENTECOSTALIA RITE CELEBRANDA  
INDICIT.

---

*Præmittitur Commentatio*  
*ad Pf. XLV, 14.*

*at.*



HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS IOANNIS HENRICI HESSE. MDCCLXXII.

ACADEMIAE SCIENTIARUM  
PROFESSOR  
DAVID CHRISTIANUS  
WESTPHAL  
VITAE PROFESSOR  
DOCTOR  
PHILOSOPHIAE  
SACRAE THEOLOGICAE RITE ORATIONIS

1780





Cum nuper memoria reditus Iesu Christi ab inferis commendanda esset Humanissimis Ciuibus nostris, ad illustre oraculum quod exstat Ps. XLV, 4-6. pauca praefari visum est. In simili negotio iam versantibus non e longinquo petendum est argumentum, quod aptum sit sollempnitati sacrorum dierum, quibus memoriam beneficiorum in Apostolos, & per hos in vniuersam ecclesiam collatorum recolinus. Eiusdem Psalmi quadragesimi quinti Comma decimum quartum sponte nobis offert occasionem de donis Spiritus S. ceu interiori ecclesiae ornatu, dicendi, animumque ad meditationes horum beneficiorum magnitudine dignas, & ab hoc tempore non alienas, informant.

*Tota*, inquit elegantissimus vates, *gloriosa est filia Regis, intrinsecus: de palis s. ocellis auri est vestis eius.* Numero quidem pauca sunt verba, summam vero ecclesiae dignitatem & venustatem nobis ob oculos ponunt. Imaginis huius primas quasi lineas iam exeunte Commate decimo ita expressas videmus, *Constituta est Regina ad dexteram tuam in auro ophiritico.* His adiungenda sunt verba Commatis decimi quarti, in quibus illustrandis iam verfamur. Quae enim medium tenent locum, (1) admonitionis ad Sponsam directae

\* 2

- (1) Comm. 11. *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam: Obliviscere populi tui & domus patris tui.* Comm. 12. *Tunc appetet Rex pulchritudinem tuam. Quia rex tuus est, ideo prosterne te coram illo.* Comm. 13. *Filia autem Tyri, s. ad Tyrios eorumque vicinos quod attinet, cum munere faciem tuam deprecabuntur, inuno quoque ditissimi populi, s. ditissimi quique hominum.*



rectæ & cum fausta acclamatione coniunctæ speciem referunt. Hæc demum excipiunt verba ista quæ explicanda nobis sumusimus.

Quæ sit illa *filia Regis*, quam totam gloriæ plenam Psaltes dicit, primo loco discernendum erit. Ex superioribus facile colligitur, eandem esse illam, quæ solo Filiae nomine vers. 11. compellatur, & vers. 10. vt Sponsa regis caelestis describitur. Hæc autem filia an poterit alia esse quam Ecclesia? A recto tramite longissime aberrant, qui cum Pellicano statuerunt, ad regis Salomonis coniugem, Pharaonis filiam, hæc esse referenda. Hoc plane alienum est a consilio Scriptoris, qui de regis supremi, non terrestri, filia loquitur. Distinguamus autem hanc Regis filiam, quæ ipsa est sponsa, ab illis quæ in Commate decimo simili quidem nomine insigniuntur, ita tamen vt appareat, eas esse dignitate inferiores illa Regis filia, cuius erant comites. Inter alias Regum filias ad dexteram Sponsi constituta esse dicitur illa, quæ, vt a reliquis discerni possit, Coniugis nomine vers. 10. condecoratur, vers. 14. autem filia Regis vocatur. Sub hac imagine depingitur nobis splendor ecclesiæ N. Test. eiusque amplificatio per gentes ad eam congregandas. De Rege illo cuius filia dicitur ecclesia, si quæstio moueatur, vix potest dubitari, quin ipse Deus hoc loco sit intelligendus. De hoc vero ambigere videmus Interpretes, sitne Deus triunus, an vna alteraue Persona diuina? Cum breuitatis ratio habenda sit, abstinemus a recensendis eorum argumentis, qui vel priorem explicandi rationem tueri voluerunt, vel posteriorem defendentes in varias abierunt sententias. Haud male, vt putamus, rem expediunt, qui Christum seu Sponsum hoc loco Regis nomine insigniri existimant. Sed erunt fortassis, qui obiiciant, ecclesiam non potuisse vno eodemque in loco Sponsam & filiam Christi vocari. Huic difficultati tollendæ sufficeret diuersitas relationis, quæ inter Sponsum istum eiusque Sponsam intercedit. Pro diuerso enim respectu Christus modo Sponsus modo Pater ecclesiæ dici poterit, siquidem sanguine suo eam sibi comparauit, paternoque amore semper amplexus est. Huic autem argumento, vt omnis dubitandi causa remoueatur, aliud adiungimus, ab vsu loquendi antiquiorum Orientis populorum desumptum. Ex multis S. S. locis intelligimus, Iudæos vxores suas filiarum nomine interdum compellauisse, & ab illis vicissim Patris nomine fuisse saluatos. Luculentum huius rei exemplum habemus in elegantissimo illo Apologo, (2) quem Nathan coram Dauide recitauit, vt sensum turpissimi, quod ille commiserat, sceleris, inuito extorqueret. Deus quoque, cum per Ieremiam Israelitis de violato spiritualis connubii iure admonuisset, (3) hanc eorum fuisse proteruiam queritur, (4) vt non erubuerint, blando Patris nomi-

(2) 2 Sam. XII, 3. (3) Ierem. III, 1. 2. (4) Ibid. vers. 4.

mine summum Numen compellare. Constat etiam ex Iudæorum legibus, patris iura & officia statim post filiae desponsationem in Sponsum fuisse translata. (5) Quæ cum ita sint, non alienum a more loquendi Orientalium videbitur, ecclesiam in hoc carmine dauidico nunc Sponsæ nunc Filiae nomine venire.

Magnifice & ad rei dignitatem satis accommodate splendorem Sponsæ seu ecclesiæ ita descriptum legimus: *Tota gloriosa est Filia Regis, intrinsecus.* Hærent interpretes in explicanda voce כבודא quæ rarius in Codice occurrit. (6) Haud probatur nobis illorum sententia, qui eam pro Nomine Substantiuo habendam esse præcipiunt, & verba ista sic interpretantur: Omnis gloria filiae Regis est intrinsecus. Si is esset verborum sensus, iure quaeritur, cur hymni autor de externo Sponsæ ornatu haud minus magnifice loquatur? Si enim dicere veller, omnem ecclesiæ gloriam non nisi intus positam esse, a magno comitatu huius Sponsæ aliisque externis decoribus magnifice prædicandis sine dubio abstinuisset. (7) Illis itaque accedimus, qui vocem כבודא pro Adiectiuo habent, vt sensus sit: Tota gloriosa est filia Regis.

Duplicem vero, vt videtur, gloriam, hymni Scriptor ecclesiæ tribuit, interiore scilicet & exteriore. Rectissime primum locum dedit ornatui interno. Propius enim ad nos pertinent, quæ animum nostrum expoliunt & ornant, quam quæ terrena sunt & in oculos hominum incurrunt. Bene Seneca (8): *Non fulgetis, inquit, extrinsecus, bona vestra introrsus obuersa sunt. Sic mundus interiora contempsit, spectaculo sui letus, Intus omne posuit bonum.* Sed ad alia deflectere videmus Interpretes illos, qui voculam פנימה non de interioribus animæ recessibus, sed vel de interiori veste, vel de interi-

\* 3 \*

- (5) Prolixè hæc disputantur in Tract. כתובות, apud Surenhusium in Mischna, Part. III. (6) Non nisi Ezech. XXIII, 41. & Iudic. XVIII, 21. recurrit.
- (7) Impedit etiam, quo minus hæc sententia nobis probari possit, primo forma Status absoluti. Si recte se haberet illorum opinio, adhiberi debuisset forma constructa. Deinde ipsa huius nominis conditio aduersatur sententiæ eorum qui illud pro Substantiuo haberi volunt. Est enim Adiectiuum formæ פקר, cuius femininum esse debet פקרה, vt ab ארומ descendit ארומה rufa, Num. XIX, 2. Sed non infrequens est anomalia, quam Masorethæ sapius, immo ad hunc quoque locum, obseruarunt, addita in margine hac notula דגש אחד שורק.
- (8) De Prouid. c. 6. Huic loco Lampius (Dodec. Exercitat. sacr. p. 514.) addit ista Hieroclis verba, Τα εσω τῆς ψυχῆς ἀδούλωτα ἕκαστος καὶ ἐν εἰσέσει, et Iudæorum haud inuenistam Sententiam apud Lightfoorum (Hor. hebr. in Matth. p. 360.): *Discipulus Sapientum, qui idem non est ad intra, quod est ad extra, non est sapientum discipulus.*



reriori ædium parte exponunt. Qui posteriorem interpretandi rationem amplectuntur, hunc verbis istis dant sensum: Tota gloriosa adstat filia Regis, intus, in palatio. Qui in alteram propendent sententiam, Cocceio fere omnes adhærent, cuius hæc sunt verba (9): „Intus dicitur esse, quod aliis vestibus exterioribus subest. Potest quippe de indumento ex auro opere ocellato intelligi. Atque hoc iam est id ipsum quod dixerat vers. 10. in auro „Ophir.“ At vero recte obiecit Lampius, (10) vocem פנימה non de interioribus vestibus adhiberi, sed potius de penetralibus domus. In eo tamen nimia esse videtur Lampii sollertia, quod in rimando mystico huius vocis sensu modum exceaserit. Eo enim progreditur, ut non dubitet asserere, animas piorum hominum secundum antitypum omnia ea possidere, quæ internum ornatum Sanctuarii olim constituebant. In iis dicit panem vitæ proponi, suffitum precum accendi, auro sanctitatis, quæ est verum domus Dei ornamentum, omnia collustrari, — Cherubinorum cælestium exempla ad imitationem semper ob oculos piorum versari, & quæ sunt reliqua. Sed in his sane nimius est. Sufficit nobis sub *interioris ornatus* nomine ea omnia complecti, quæ i Petr. III, 4. dicuntur *ἡ κρυπτός τῆς καρδίας ἀνδραποτός* (oppositus τῷ ἔξωθεν κόσμῳ) ἐν τῷ ἀφθάστῳ τοῦ πρᾶξος καὶ ἡσυχίου πνεύματος, ὃ ἐστὶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ πλουτέλης. His quidem Apostoli verbis rectius & ad illustrandum locum nostrum aptius nihil dici potest. His autem si inhæreamus, ut par est, facile intelligitur, interiorum ecclesiæ ornatum absoluti bonis illis quæ Spiritus Sancti gratia omnibus obtingunt, qui divino lumine mentem suam collustrari, & ad boni rectique studium se excitari patiuntur.

Nec alium esse putamus sensum verborum, quæ finem huius Commatis decimi quarti constituunt, immo omnium eorum quæ de splendido Sponsæ vestitu elegantissime ab Hymni scriptore dicta sunt. Non plane quidem reiiicimus partitionem illam longo vsu receptam, quæ gloriam ecclesiæ internam ab externâ distinguere iubet, sed non probatur nobis eorum studium qui in constituendis vtriusque partibus nimis subtiles sunt. Satis acuti sibi visi sunt, qui longo ordine enarrarunt horum ornamentorum genera, scilicet quid sibi velint vestes auro ophiritico conspicuæ, myrrhamque, aloën & castiam odoratam spirantes? quid fundæ seu palæ auri? quid, denique, vestes acu pictæ? Sed parum iuamur tota ista subtiliori disputatione. Horum enim Scriptorum, inter quos fere eminet Lampius, ne vnus quidem potuit probare, ea ecclesiæ ornamenta, quæ exterioribus vestibus, & adscitiis, ut ita dicamus, decoribus comparari dicuntur, vnice absolui bonis commodisque piorum externis; id quod iure postulari potest, si recte opponi debe-

ant

(9) in Comment. ad h. l. Opp. Tom. II. p. 192. (10) l. c. p. 515.



ant internis. Recidunt potius omnia ad eius generis bona, quæ solis piis sunt cognita, & non meliori quam κρηττού της καρδίας ανθρώπου, aut αγαθού θησαυρού της καρδίας (11) nomine insigniri possunt. In his præcipue versatur piorum felicitas, ad quam vnice adspirant, & de qua iure suo latentur, cum didicerint, regnum Dei non esse βρώσιν και πόσιν, sed δικαιοσύνην, και εὐερίην, και χαράν ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. (12) Rectissime igitur Theodoretus, vt Comma decimum quartum vna cum initio decimi quinti illustraret, hæc adposuit: (13) Ἐνδοθεν ἔχει, φησι, τῆς ἀρετῆς τὴν εὐπρέπειαν, και τοῖς παντοδαποῖς τοῦ ἁγίου Πνεύματος διαλάμπει χαρακτηρισσιν. Ita paucis complexus est, quæ maxime ad rem pertinent.

De hoc interiori Ecclesiæ ornatu, quem *sanctum* alibi in sacris literis vocari (14) nouimus, amplius iam esset dicendi locus, sed cum breues esse nos oporteat, vela contrahamus. Haud immerito *totam* ecclesiam cum Dauide gloriæ plenam esse dicimus, nixi autoritate Scripturæ Sacræ. Quam enim sacrorum hymnorum peritissimus artifex in nostro loco *totam glorificatam* vocat, quamque in simili loco (15) *totam pulchram, omnisque* adeo *maculæ expertem* nominari legimus, eandem pariter Noui Foederis paginae (16) nobis depingunt vt ἐνδοξόν, ἁγίαν και ἁμωμον μὴ ἔχουσαν στίλβον ἢ δυτίδα, ἢ τι τῶν τοιοῦτων. Huius suæ gloriæ autorem & vindicem Ecclesia N. T. veneratur Iesum Christum, per quem Deo reconciliata est & perennis salutis spem habet profus non dubiam. (17) Iam, vt accuratius cognoscere liceat, quanta sit piorum N. T. gloria, & qualis sit eorum ornatus interior, comparemus Veteris & N. T. ecclesiam. Audiamus Paulum, qui ecclesiam V. T. gloria aliqua conspicuam fuisse diserte testatur, (18) eiusque plures recenset partes, quæ omnes, si recte videmus, ad tria ista capita reuocari possunt, *uictriciam, diadematicam & epauregaticam*. Alio autem loco (19) docet, maiorem esse gloriam ecclesiæ N. T. Vtrumque locum si recte comparemus, apparebit, in quo præcipue consistat ecclesiæ noui Foederis gloria, & quis sit eius interior ornatus. Ad tria itaque capita res omnis recidit. *Primo* gloriosa est Christi ecclesia, quia ex Deo nati sunt, quotquot huius ecclesiæ alumnos suo iure se profitentur. Si enim Israël's progenies *uictriciæ* iure gaudebat, teste Paulo, (20) multo maiori cum iure nos lætandi causam habemus, qui per Christum redempti sumus, vt Dei esse filii, & Spiritum S. acciperemus. (21) An gratia maior esse potest ea quam sum-

(11) Matth. XII, 35. (12) Rom. XIV, 17. (13) T. I Edit. quæ hic prodit, p. 894. (14) Pf. XXIX, 2. XCVI, 9. (15) Cantic. IV, 7. (16) Eph. V, 27. (17) Col. I, 19. 20. II, 10. (18) Rom. IX, 4. (19) 2 Cor. III, 7-11. (20) Rom. IX, 4. (21) Rom. VIII, 15. 16. 23. Gal. IV, 5. Eph. I, 5.



summo Christi in nos amoris debemus, ut Dei filii, immo ex Deo nati appellemur? (22) Deinde haud minoribus fruimur *divitiis*, immo longe maioribus, quam ecclesia V. T. Copiosius de hoc argumento disputat Paulus in epistola ad Hebraeos, (23) ex qua discimus, melioris foederis beneficium nobis per Christum contigisse. Versatur autem eius prerogativa tum in maiori dignitate mediatoris nostri, tum in praesentia bonorum, quae illius merito nostra facta sunt. Horum vero quanta est copia! quanta inde ad nos redundat felicitas! Meliores *denique* sunt promissiones, quibus fides nostra nititur. (24) Ad hereditatem adspiramus seculorum limitibus non circumscriptam. Locum nobis paratum esse novimus, ubi ab omnibus curis soluti, aeterna pace fruemur, & coronam reportabimus, quam Deus praemii instar reposuit illis qui in fide persistunt usque ad finem.

(22) Ioh. I, 13. (23) c. VII, 22. VIII, 6. 9. 10. XII, 24. (24) Hebr. VIII, 6.



Intellexistis, *Humanissimi Cives*, quis sit eorum qui Christo nomen dederunt, ornatus. Non de terrenis gloriantur, nec ad illius generis bona adspirant, sed id vnice cogitant, quod Deo gratum est & laetam futurae felicitatis spem affert. Anne omnes qui Christi nomen profitentur, decet, in decore sanctitatis incedere? Ita est omnino. Sed ut hanc viam ingrediamini, opus vobis est Spiritus Sancti lumine & auxilio. Is enim esse debet dux & adiutor in paranda aeterna salute vestra. Nolite instantes dies sacros ita transigere, ut gravissimam salutis vestrae curam abiecisse videamini. Intellexistis, ornatum Ecclesiae esse *interiorem*. Scrutemini itaque animum vestrum, ut cognoscatis, an Dei Spiritu agamini. Rogate Deum, ut Spiritu suo vobis omni tempore adsit, vosque per eum ad omnem veritatem virtutemque ducat. Nolite committere, ut animo vestro excidant, quae Paulus scripsit ad Romanos c. VIII, 14. *Ὅσοι πνεύματος Θεοῦ ἀγορεύουσιν, οὗτοι εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ.*

P. P. d. V. Iunii, A. R. S. MDCCLXXII.



Fd 3984

ULB Halle 3  
002 164 590





TA-OL

V217

MW







B.I.G.

Farbkarte #13

MIAE FRIDERICIANAE  
RECTOR  
STVS CHRISTIANVS  
WESTPHAL

30

SSOR P. O. ET FAC. IVRID, ASSESSOR



CVM  
IRECTORE

ET  
TV ACADEMICO

COSTALIA RITE CELEBRANDA  
INDICIT.

mittitur Commentatio  
ad Pf. XLV, 14.

at.



LAE MAGDEBURGICAE  
IS HENRICI HESSE. MDCCLXXII.